

aequas externas condiciones imponere ut valida ab illicitis distingui externe et protegi possint, *c*; ipsa jura conferre vel tollere, *n*.

Objic. 4^o Omnibus contractibus leges suas imponit potestas civilis; *e*. — *R. d. ant.* omnibus aliis, *tr*; etiam huic, *n*. (propter hujus specialem naturam, ubi nempe agitur de tradendis ipsis personis, ad finem ab ipsa natura immediate volitum, ad familiam ipsam fundandam et propagandam, non solum ad relationes inter familias).

Objic. 5^o Matrimonium est fundamentum familiae, et consequenter civitatis, ad ejus bonum summopere confert; *e*. — *R. c. ant.* — *n. cons.* (posset retorqueri ita ut civitas a familia dependeret! — et falso supponitur omnia, quae societati bona sint, ab ea ipso facto dependere!)

Propositio 124.

Vinculum conjugale oritur ex libero consensu mutuo, qui est verus contractus, natura sua cum religione cohaerens.

Stat. quaest. Quaeritur, ad penitiorum cognitionem naturae matrimonii, quo titulo oriantur omnia illa jura, seu ipsa societas conjugalis. — *Responsionis* duae priores partes dogmaticae potius, a nemine negantur; ultimam negant multi recentiores.

Prob. 1^a pars (*libero consensu*). Ille debet naturalis et necessarius modus oriundi esse matrimonii, qui et naturae rationali hominis, et indoli propriae hujus societatis sit conformis; *a*. talis per se est solus consensus mutuus liber; *e*.

Prob. min. 1 part. (naturae rationali). Ipsa natura rationalis nullo facto vel qualitate naturali determinat quinam in conjugium convenire debeant (exceptis primis hominibus), et singulis liberum relinquit matrimonium inire vel non inire; *e*.

Prob. min. 2 part. (indoli propriae). Matrimonio proprium est ut sit societas amicitiae et intimi mutui amoris, et ut gravissima onera imponat, ad quae aliunde nulla necessitas urget; *a*. ad hunc amorem amicitiae et ad haec onera nullus timor, vel imperium, vel aliud quidquam praeter liberam electionem impellere potest; *e*.

Prob. 2^a pars (*verus contractus*). Contractus proprie dictus est, quo stricta jura conferuntur; imo contractus maxime proprie dictus est contractus onerosus, quo utrinque jura conferuntur; *a*. matrimonio conferuntur jura stricte dicta, et haec quidem utrinque; *e*.

Prob. min. Matrimonio jura conferuntur mutua: 1) in corpus proprium quoad generationem (quod jus si violatur, adulterium ab omnibus justitiae stricte dictae contrarium habetur), — 2) in cohabitationem et convictum quoad consuetudinem vitae, necessariaque ad sanitatem, etc., — 3) in onus educationis prolium suscipiendum, ita ut neuter sibi totam educationem soli assumere, neuter eam totam alteri relinquere possit, — 4) in auxilium, solatium, amorem mutuum; *e*.

Prob. 3^a pars (*cum religione cohaerens*). Cum religione cohaeret quidquid speciali modo ad Dei laudem et servitium refertur; *a*. de matrimonio id valet; *e*.

Prob. min. Matrimonium: 1) in *fine suo primario immediato* tendit ad generationem prolis, i. e. ad rem ad quam Deus per specialem concursum cooperari, animam creando, debet; — tendit ad conservationem et educationem prolis, i. e. ad augendum numerum et perfectionem eorum qui natura sua destinantur ad Deum cognoscendum, laudandum, amandum, eique servendum; — 2) in *fine suo immediato secundario* tendit ad mutuum conjugum amorem et auxilium ac solatium, i. e. ad mutuos defectus et infirmitates toleranda, gravia et quotidiana onera diuturna; quae nisi propter Dei honorem, animo per religionem erecto, ferri non possunt; — 3) in *fine suo mediato* tendit ad prosperitatem generis humani, quae ut vera et solida sit, bona temporalia quidem, sed specialius moralia et aeterna respicere debet; *e*.

Coroll. 1^m Ergo jure merito, et ipsa natura duce, apud omnes gentes matrimonium ut res sacra et cum religiosis ritibus ineunda fuit habita.

Coroll. 2^m Ergo ipsa natura duce, ex reverentia matrimonii ut rei sanctae, sancte tractandae, impedimenta matrimonio obstant: 1) gradus propinquiores cognationis, v. c. inter parentem et prolem, inter fratrem et sororem, etc.; — 2) ligamen alius matrimonii adhuc existentis.

Coroll. 3^m Ergo etiam ex lege naturali, ob naturam contractus, impedimenta matrimonii sunt: 1) error circa personam (sed non solum circa personae qualitates), — 2) vis et metus, — 3) aetatis defectus (ut adsit cognitio gravium obligationum, et capacitas), — 4) incapacitas naturalis et perpetua.

Objic. 1^o Consensus matrimonii maxime differt a contractibus proprie dictis; *e*. — *R. d. ant.* quoad rem circa quam agitur, et quoad indissolubilitatem, *c*; quoad notas essentiales genericas contractus, *n*.

Objic. 2^o Ad contractum proprie dictum requireretur ut ipsi homines sibi mutuo jura conferant; *a*. sponsi sibi jura matrimonii dare non possunt (sed potius Deus dat); *e*. — *prob. min.* Nemo dat quod non habet; *a*. ante matrimonium sponsi jus ad venerea non habent; *e*. — *R. c. maj.* — *n. min.* — *ad prob. d. maj.* quod nullo modo habet: nec formaliter, nec virtualiter, nec absolute, nec conditionate, *c*; quod saltem virtualiter et conditionate habet, *n*. — *c. d. min.* non habent actu et formaliter, *c*; virtualiter et conditionate, *n*. (sub conditione: si conjugio uniantur; quam conditionem ipsi propria virtute ponere possunt).

Objic. 3^o Contractus conjugalis in statu naturae purae non est actus religiosus, sed actus socialis, quo jura conferuntur. — *R. d. 1 part.* non actus religiosus, i. e. non actus formalis explicitus religionis sicut oratio, *c*; non ex natura sua cum religione cohaerens, *n*. — *d. 2 part.* mere socialis, *n*; socialis et per se cum religione connexus, *e*.

Objic. 4^o Conjugium per se (intuendo commoda et voluptates, et prolem) indifferens est, non malum, nec bonum et sacrum. — *R. d.* ita abstracte et incomplete consideratum, *c*; complete secundum naturam suam, *n*.

Propositio 125.

Vinculum conjugale est natura sua ita perpetuum, ut divortium perfectum sit naturaliter illicitum, imperfectum aliquando licitum esse possit.

Stat. quaest. 1) Vinculum mutuum conjugum esse naturaliter perpetuum, ita ut ex naturae voto debeat nunquam solvi, ab omnibus generatim admittitur. — Sed quaeritur utrum saltem aliquando possint ob graves causas conjuges a se mutuo diverti.

2) Respondent protestantes et alii multi posse tunc *divortium* et quidem *perfectum* intervenire, i. e. conjuges posse ita se separare ut non solum nulla cohabitatio maneat, sed ut ipso societatis conjugalis vinculo soluti possint pro se quisque novas alibi nuptias adire.

3) Respondent catholici *divortium perfectum* nunquam licitum esse; *imperfectum* posse ob graves causas aliquando licite intervenire, i. e. conjuges separari quoad habitationem, ita tamen ut vinculo matrimonii uniti maneant, nec possint novas nuptias adire quamdiu ambo vixerint.

4) Causae illae graves separationis essent eae quae fini matrimonii adversantur, v. c. intolerandi alterutrius conjugis mores, adulterium, malitiosa desertio, etc.

Prob. 1^a pars (*divortium perfectum*). Tale *divortium* directe et graviter fini matrimonii repugnat; *e.* legi naturali repugnat.

Ad antec. 1) Repugnat *educationi*, nam haec longum tempus insumit, plurimas sollicitudines parit, utrique parenti incumbit; et femina saepius concipit, unde fere per totam vitam labores educationis ferendi sunt; *a.* talibus laboribus repugnat separata vita parentum novas nuptias ineuntium, priorum familiam oblivioni vel etiam odio habentium; *e.*

2) Repugnat *mutuae intimae amicitiae et fiduciae*, si jam ab initio singuli jure possint timere nequando dimittantur, diffidentiam concipiant ac circumferant, pro se quisque prospiciat in futurum.

3) Repugnat *mutuo subsidio et solatio*, si postquam simul pertulerint labores vitae et sobolis educationem, in senectute quando maxime pace et solatio opus est, diverti ac prorsus alieni fieri possint, idque per totam vitam cognitum timeatur.

4) Repugnat *prosperitati generis humani*, si postquam simul conjuges longam et meliorem vitae partem degerint, postquam mulier juventutis flore ac virginitatis privilegio orbata sit, separentur, atque ita inter viri et mulieris familias lites et odia suscitentur.

5) Repugnat *publicae moralitati*, quae teste experientia semper eo majore corruptione pluribusque libidinibus faedatur, quo plura et faciliora *divortia* habentur; quae certe corruptio civitatum nequit procedere a lege naturali; *e.*

Prob. 2^a pars (*divortium imperfectum*). Causae possunt contingere quae conjugalem societatem intolerandam efficiant; v. c. 1) si mutuus amor deferbeat et in odium convertatur, ita ut tranquilla vita et pacifica domus guber-

natio nequeat obtineri: tunc certe ratio suadet ut saltem ad tempus conjuges separentur; — 2) si alteruter conjux fidem violet, vel malitiosa fuga socium deserat, vel graviter eum divexet: tunc jus erit alteri a nocente discedere ut se ab oppressione liberet, vel ut alterum puniat; — *a.* ad haec omnia sufficit imperfectum non requiritur perfectum *divortium*; *e.*

Coroll. 1^m Ex ipso argumentandi modo satis elucet quantum catholicis beneficium, moralitatisque tutamen, ac certitudinis fons sit doctrina et lex Ecclesiae infallibili magisterio absolutam indissolubilitatem matrimonii per *divortium perfectum* docentis; nam sola ratio posset aliquando anceps haerere, v. c. in casu infidelitatis, morbi continui, periculi incontinentiae.

Coroll. 2^m Ergo sicut per exceptionem absolute potest Deus aliquando polygyniam simultaneam permittere, ita etiam *divortium perfectum*; atque hoc innuimus in propositione dicentes: *naturaliter illicitum*.

Objic. 1^o Non ex omni matrimonio oritur proles; *a.* tunc nulla est ratio cur illicitum sit *divortium*; *e.* — *R. tr. maj.* — *d. min.* si ex eo quod fit per accidens judicandum sit de natura rei et voluntate Dei, *c;* secus, *n.*

Objic. 2^o Infidelitas circa contractum solvit ejus vim; *e.* saepe *divortium perfectum* est licitum. — *R. d. ant.* ubi non agitur de damno tertii, *c;* secus, *n.* — *d. cons.* nisi generaliter et ex natura rei ageretur de damno prolis et totius civitatis, *c;* secus, *n.*

Objic. 3^o Matrimonium est contractus libere factus; *a.* in contractu libere faciendo possunt libere poni conditiones, vel saltem potest ex mutuo consensu contractus solvi; *e.* — *R. d. maj.* contractus cujus natura pendet a voluntate divina, *c;* ab humana, *n.* — *c. d. min.*

Objic. 4^o Matrimonium ex sua perpetuitate multas infert molestias; *a.* tales molestiae contra naturam nequeunt oriri ex jure naturae; *e.* — *R. d. maj.* molestias quae multo majoribus malis totius generis humani cedere debent, *c;* secus, *n.* — *c. d. min.*

Objic. 5^o Disparitas animorum vel morum perversitas poterunt aliquando impossibilem facere cohabitationem, et necessariam facere separationem; *a.* tunc pro malo punitur etiam bonus, ad continentiam etiam invite coactus, si vinculum matrimonii solvi nequeat; *e.* — *R. c. maj.* — *d. min.* magnum incommodum, sed multo minus iis malis generalibus quae ex *divortii* perfecti licitate sequerentur, *c;* secus, *n.*

Objic. 6^o Saltem in raris casibus, ubi nulla spes pacis redintegrandae manet, majus bonum ex *divortio* perfecto proveniret; — *prob. 1)* bonum *personae*: non coacta ad continentiam fere impossibilem, periculum effugeret aeternae damnationis; — 2) bonum *societatis*: vinculo manente in libidinem abibit, et publica verecundia peribit; vinculo soluto posset ad novas honestas nuptias sine scandalo publico transire et maneret publica morum aestimatio. — *R. n. assert.* — *ad prob. 1 part.* periculum superabile cum oratione et bona voluntate, licet grave, *c.* — *ad 2 part.* hoc ipsum natura sua majora mala publica induceret: a) si permittitur rarius et difficilius, brevi fiet cre-

brius et facilius, teste experientia; — b) si conjugii spes est solvendi matrimonii, impellitur ad gravissima ut vera causa solutionis appareat; — c) si possibilitas solutionis adest, uterque conjux minus ad fidelitatem et constantiam mutuae dilectionis incitatur, liberius ad amores alienos propendet.

QUAESTIO 2.

De parentibus et prole.

Propositio 126.

Inter parentes et liberos vera existit societas immediate a natura constituta.

Stat. quaest. Inter parentes et liberos existere relationes, easque naturales, omnes admittunt; sed recentiores multi negant relationes illas tales esse ut veram societatem, ac proinde veram in parentibus auctoritatem, veram in liberis subjectionem pariant. Alii concedunt quidem aliquam societatem, at eam non ex ipsa natura ortam sed potius ex consuetudine universali vel ex lege civili.

Prob. Vera societas est plurium entium rationalium unio, in bonum aliquod commune suis actibus conspirantium; *a.* inter parentes et liberos talis est unio, et quidem haec immediate a natura constituitur; *e.*

Prob. min. Ex conjunctione naturali viri et mulieris oriuntur filii, suntque societatis conjugalis continuatio quaedam et complementum; nascuntur naturaliter omnibus indigentes, nihil sibi sufficientes; parentibus naturaliter inest intimus et intensus amor prolis et cura ejus; — *a.* ita ipsa natura dicenda est parentes et liberos conjunxisse in unionem activitatis, et conspirationis in unum finem communem: conservationem et educationem prolis; *e.*

Objic. 1° Inter parentes et liberos nullus intervenit contractus; *e.* nulla societas et auctoritas, sed relationes naturales. — *R. n. supp.* (omnem societatis originem esse ex solo contractu...).

Objic. 2° Parentes quidem agunt ad prolem nutriendam et conservandam; sed proles potius patitur quam agit; *e.* nulla conspiratio actionum. — *R. d. maj.* patitur secundum parentum actionem, unde simul harmonice exercentur potentiae activae et passivae omnium in unum finem, et mox incipit proles etiam agere secundum parentum directionem, *c;* secus, *n;* — *c. d. cons.* actionum strictiore sensu, saltem initio, *tr;* actionum latiore sensu (hic sufficiente): activitatis et facultatum evolutionis atque exercitii; *n.*

Objic. 3° Filii ab initio voluntate nulla sua, nec cognitione, in communem illam tendentiam veniunt; *e.* nulla tendentia in finem ut finem. — *R. d. ant.* nulla cognitione, *c;* nulla voluntate formali (nec pro nec contra), *c;* nulla voluntate interpretativa, et quidem duce natura interprete, *n;* — et *n. supp.* (requiri semper expressam voluntatem, praesertim ubi natura ipsa rem conficit).

Coroll. Ergo societas paterna est *societas inaequalis*; nam filii sunt parentibus inferiores: 1) ratione *generationis* qua ab illis omnia, etiam primam existentiam acceperunt; — 2) ratione *cohabitationis*, qua quum nascuntur domum ingrediuntur, ubi auctoritatem jam possidet pater et sub illo mater; 3) ratione *educationis*, quam totam ab illis tanquam beneficium suum accipiunt; — 4) ratione *generis continuandi*, qua filii sunt quasi esse paterni continuatio quaedam in cultu Dei et fine ultimo creationis procurando; *a.* in omni genere continuatio dependet ab initio. — Habent igitur parentes, vi naturae, auctoritatem in liberos.

Propositio 127.

Parentes lege naturali tenentur officio gravi ad procurandam liberorum conservationem et educationem corporalem, intellectualem, moralem.

Prob. Pueros post primum eorum ortum nequit Deus, providus auctor naturae, sine ulla cura eorum conservationis, dignitatis humanae, felicitatis, derelinquere; ac proinde etiam totum genus humanum ad exterminationem brevi venturam damnare; — *a.* unicum medium quo conserventur pueri, et genus humanum propagetur, est ut parentibus officium incumbat hujus curae; *e.*

Coroll. 1^m Ergo parentes liberis tenentur ea praestare quae homo naturali officio sibi ipsi debet, sive quoad sui conservationem, sive quoad sui perfectionem; idque parentes debent donec ipsi pueri sibi consulere possint; scilicet: 1) eos alere, eorumque incolumitati sedulo prospicere, — 2) eorum mentes informare cognitionibus ad vitae usum necessariis, — 3) eorum conservationi et commodis in posterum providere, maxime efficiendo ut labori assuescant, et artibus vel facultatibus pro cujusque ingenio dent operam, quibus vitam tolerare possint, — 4) praecipue curare ut pueri moralia officia et honestatis normas et noscant et ad praxim vitae reducant, — 5) mentes eorum mature ad Deum convertere, ut et religiosas res cognoscant et Deum rite colant.

Coroll. 2^m Ergo absurde recentiores multi volunt ut parentes ab omni correctione et castigatione corporali abstineant, sola hortatione et verbis contenti.

Coroll. 3^m Ergo absurde J. J. Rousseau et recentiores volunt, ut nullus de religione ad pueros sermo ante fiat, quam ipsi adulti facti ex se deliberare possint de religione aliqua amplectenda.

Coroll. 4^m Ergo si parentibus demortuis vel alio quovis modo deficientibus, alius quis eorum loco puerorum tutelam, sive propria sponte, v. c. derelictos sibi assumens, sive ex officio v. c. consanguinitatis vel legis civilis causa, susceperit, is proportionem servata eadem paternam officia simul et jura erga pueros suscipit. Item cui a parentibus puerorum magisterium et educationis pars aliqua commissa fuerit.

Coroll. 5^m Ergo graviter justitiam laedunt qui jus parentum ad puerorum educationem invadunt; nam bonum familiae vere utile, eique vere proprium laedunt.

Propositio 128.

Paterna potestas certos quosdam limites habet, et successive decrescit.

Prob. 1^a pars (certos limites). Paterna potestas ab ipsa natura conceditur patri solum ad finem societatis paternae et domesticae obtinendum; *a.* potestas ita concessa non magis patet quam ipse finis ad quem conceditur; *e.* quidquid praeter hunc finem vel contra eum foret, excedit hanc potestatem.

Prob. 2^a pars (decrescit). Finis ad quem concedit natura potestatem patri est, ut filiorum impotentiae et inopiae, tum physicae, tum morali, suppleatur et subsidium detur; *a.* crescente filiorum aetate, vires eorum augmentur et ratio magis adulescit; *e.*

Ad min. Tria possunt in filiorum vita distingui tempora: 1) tempus *impubertatis et imperfecti consilii*, dum incapaces sunt prospiciendi sibi de alimentis, et bonum a malo sufficienter discernendi. Tunc jus paternum se extendit ad actiones filiorum non solum externas sed et internas regendas ac moderandas, nam infirma pueri ratio eget parentum consilio et ratione, ut ad recte iudicandum, volendum et operandum assuefiat;

2) Tempus *minoritatis*, dum filii actiones suas regere quidem, sed nondum quae ad vitam necessaria sunt sibi comparare, vel res suas administrare possunt. Tunc juri paterno subsunt quoad operationes externas, quoad ordinem domesticum servandum et officia adimplenda, quoad facultatum ac virium utilem occupationem, quoad bonorum materialium administrationem; — sed non quoad eligendum vitae statum (in quo dare quidem prudentiae consilia parentes possunt, obedientiam ad nutum tanquam jure imperantes exigere non possunt);

3) Tempus *majoritatis*, dum filii jam nulla incapacitate laborant praecedentium. Tunc fiunt omnino sui juris quoad directionem vitae. — Quod si tamen etiam post majoritatem, imo et post electum statum vitae, maneant in domo patris, huic subsunt quoad ordinem domesticum.

Coroll. 1^m Ergo non licet parentibus, ad minuendam filiorum multitudinem, sive genitis abortum inferre, sive enatos exponere vel projicere; idque etiam si aliquo corporis defectu laborant; nam haec omnia fini essentiali societatis conjugalis et paternae directe adversantur, imo et officiiis generalibus naturalibus inter homines.

Coroll. 2^m Ergo minime probabilis est aliquorum opinio, licere medicis puero genito mortem inferre ad vitandum certum pro matris vita periculum; nam mater tunc minime constituitur in casu legitimae defensionis, nec puer est injustus aggressor: ipsa enim mater et hujus periculi et pueri causa est.

Coroll. 3^m Quamvis parentes liberos castigare etiam virgis possint, et

aliquando debeant, eos tamen graviter vulnerare, vel mutilare, vel capite plectere non possunt; nam ista neque ad educationem neque ad ordinem domesticum utilia vel necessaria sunt.

Coroll. 4^m Ergo si quis filius adeo protervus sit et contumax, ut de ejus emendatione plane desperandum sit, ac domestica pax cum eo conservari non possit, ejici domo paterna jure potest, quod ad pacem restituendam sufficiet.

Propositio 129.

Liberorum officia erga parentes alia sunt perpetua, alia temporaria.

Prob. 1^a pars (perpetua). Beneficia procreationis, conservationis, educationis a parentibus filii acceperunt; *a.* his nunquam par haberi aut referri potest gratia; *e.* perpetuo tenentur filii ad amorem, reverentiam, gratum animum parentibus exhibendum; et si quando indigeant, etiam auxilium et solamen iis afferendum.

Prob. 2^a pars (temporaria). Quamdiu liberi in domo paterna versantur, societatis domesticae membra sunt, cujus auctoritas penes patrem, et sub eo penes matrem est; *e.* obedire his debent relate ad societatis finem, i. e. 1) in omnibus ad educationem pertinentibus, donec completa sit educatio, 2) in omnibus ad ordinem domesticum spectantibus, donec in domo sunt.

QUAESTIO 3.

De hero et servo vel famulo.

Propositio 130.

Repugnat legi naturali servitus obnoxia, qua alius homo in alium sibi vindicet dominium absolutum, sive quoad corpus sive quoad animam.

Notiones. 1) *Servitus* est servorum conditio, — *Servus* ille est qui opera sua omnia alii homini praestare debet ad nutum, in ejus utilitatem.

2) Dividitur servitus:

- obnoxia — — — qua in heri utilitatem et commodum ordinatur ipsa persona servi, ut adeo de illa disponat pro lubitu, nec ulla jura servi observet.
- mercenaria — — — qua herus jus habeat de labore servi, non vero de ejus persona disponendi.
- perfecta — — — qua herus sit dominium in omnes servi operas perpetuum, hac sola conditione ut herus revereatur servi jura naturalia primaria.
- imperfecta — — — qua heri dominium extendatur non in perpetuum, vel sub certis conditionibus, vel non in omnimodas servi operas sed in certa operum genera tantum.
- domestica : famulorum, qui in domini domo vel societate vivunt, tanquam ejus familiae partes, inferiores quidem, sed integrantes.
- proletaria : operariorum qui pro domino seu patrono laborant, sed ex libero pacto, propriamque familiam ac domicilium habent.

Stat. quaest. 1) Servitatem etiam obnoxiam esse ab ipsa natura inducendam, imo praescriptam, censebant Plato et antiqui fere omnes (de mente Aristotelis multum disputatur).

2) Eam esse lege naturali licitam : servum esse meram domini rem, non juribus ornatam personam, hominem deminutum capite, declarat jus romanum.

3) Eam esse iniquam et lege naturali prohibitam dicunt communiter catholici, et rationalistae.

Prob. Legi naturali repugnat quidquid adversatur essentialibus hominum relationibus, et eorum fini ultimo; *a.* servitus obnoxia opponitur illi aequalitati hominum inter se, quae ipsis relate ad finem ultimum essentialis est; *e.*

Prob. min. Omnes homines, vi suae naturae rationalis, essentialiter ordinantur ad eundem finem ultimum, — habent officium mediis necessariis ad hunc finem tendendi, ac proinde habent jus idem ad ea media necessaria; — unde inter se ita sunt aequales ut singuli sint finis cui bonum perfectum appetendum est; — *a.* in servitute obnoxia : a) servus non habetur ut finis cui herus vult bonum perfectum, sed ut medium tantum ad utilitatem domini tanquam ad finem suum ultimum; — b) destituitur mediis necessariis ad finem verum ultimum obtinendum; — c) habetur ut res nullis juribus praedita, nullo modo propter se amanda; *e.*

Propositio 131.

Non repugnat legi naturali servitus mercenaria etiam perfecta, qua homo alius in alium acquirat dominium quoad opera externa honesta omnia.

Stat. quaest. 1) Qui servitatem obnoxiam ut licitam vel necessariam admittebant, multo magis mercenariam admitterent.

2) Eam lege naturali repugnare dicunt rationalistae.

3) Licitam esse, saltem aliquando, docent catholici servitatem etiam perpetuam et nulla alia mercede debita quam victu et tecto.

Prob. Legi naturali non repugnat nisi illud quod opponitur essentialibus hominis relationibus et tendentiae ad finem ultimum; *a.* his non opponitur servitus mercenaria, etiam perfecta; *e.*

Prob. min. Servitus mercenaria confert quidem heri jus in omnia opera externa servi honesta, sed illaesa servat servi dignitatem humanam personalitatis, tendentiae ad finem ultimum, conservationis et integritatis, benevolentiae et amoris ab aliis; *a.* ita nihil essentialibus relationibus specificae aequalitatis hominum vel tendentiae ad finem ultimum opponitur; *e.*

Coroll. Ergo etiam, et magis, licitus est famulatus ex libero pacto, ad tempus, sub certis mercedis conditionibus initus, qualis hodie passim existit.

Objic. 1° Libertas est homini essentialis; *e.* — *R. d. ant.* libertas physica seu arbitrii, *c.*; libertas moralis in operibus externis, *n.*

Objic. 2° Omnes homines sunt natura aequales. — *R. d.* ita ut natura ipsa nullum destinaverit in alterius commodum, *c.*; ita ut nullus unquam possit per accidens fieri alteri legitime inferior, *n.*

Objic. 3° Unusquisque habet jus se ad finem ultimum dirigendi; *a.* in servitute dirigitur ad bonum alterius, non ad suum finem ultimum; *e.* — *R. d. maj.* jus numquam a vere bono deflectendi, *c.*; semper eligendi inter omnia media externa, *n.* — *d. min.* ad bonum alterius ultimatim et unice, *n.*; immediate, *sd.* cum exclusione ultimi sui finis, *n.*; secus, *c.*

Objic. 4° Homo non potest sua dignitate privari; *a.* hanc tollit servitus; *e.* — *R. c. maj.* — *d. min.* minus est ei conformis, *c.*; omnino tollit ejus habitum ad finem ultimum, *n.*

Objic. 5° Maximum et proximum abusus periculum a parte heri existit; *e.* — *R. c. ant.* — *d. cons.* ergo simpliciter repugnat, *n.*; est minime optabilis servitus, et ubi existit est per leges civiles aequas et efficaces moderanda, *c.*

Objic. 6° Servitus mercenaria perfecta aperit viam ad obnoxiam; *e.* est sicut haec illicita. — *R. d. ant.* per se aperit, *n.*; per accidens et saepe, *c.* — *d. cons.* repugnat legi naturali, *n.*; voto naturae, *sd.* quoties aliunde necessaria est, *n.*; secus, *c.*